

(79) Viro nobilissimo
 D. D. Carol. a Linné
 Arch. reg. Equ. spl. Prof. celeb.
 s. p. d.
 J. C. Fabricius

Litteras TVAS, quibus me nouissime beasti, maxima cum voluptate iterum iterumque perlegi. Laetor TE valere et me benevolentia TVA haud indignum aestimare, quum omnes in historia naturali progressus, qualescunque denique sint, praeceptoris optimo maxime debo.

Semina haud pauca a Dom. Millero accepta ante mensem ad Zoëgam meum Hafniae misi, quae, vt spero, iam accepisti; inter illa fuerunt, nisi fallor, et semina Ortegiae et Pentstemonis. Expetii ab Ellisio aliisque semina Ellisiae, at fuit in hortis Angliae et omnino periit.

Exspectamus aude secundum tertiumque systematis Tolum, qui nondum Angliam attigerunt. Magna et antea inaudita exspecto.

Audiuisti certe de succedaneo illo Theae, quod in America loco Theae adhibent incolae sub nomine Labrador Thee, at forte planta ignota, in speciebus enim plantarum haud inuenio. Est Ledi species simillima nostrae charactere, odore, sapore, at stamina tantum quinque et folia paullo latiora. Paruam huius Theae quantitatem, si desideras, communicabo.

Misi etiam cum seminibus pauca specimina cryptogamiæ, quae noua credidi, iudicium TVVM de illis humillime expeto. Sunt quaedam imprimis Lichenum, quae mihi satis distincta videntur. In autumno plura melioraque communicare valebo. Vidi iam in hortis plantas haud paucas nondum descriptas, quarum flores aude exspecto. Colligam quantum valebo et simulac bene siccata sunt specimina ad TE mittam.

In autumno exspectamus opus entomologicum a D. Drury editum, quod continebit descriptiones et quinquaginta tabulas insectorum Indianorum nondum descriptorum. Descriptiones ampliae, taediosae, at figuræ bonae, accuratae et insecta noua.